

Itaque ut extremum Pontificis voluntatis periculum faciat, Ebroicensem Episcopum Romam mittere statuit; in itinere Venetas divertere jubet; cum eo Andreas Haraultius Messius, antea apud Rempublicam ordinarii oratoris munere functus, legatus a Rege venit, ut de anni præteriti perhonoriſca ad eum missa legatione Senatui gratias ageret. Ebroicensis quæcumque in mandatis habebat, quæque ei Romæ agenda erant, Henrici jussu Patribus exponit; ut ei suffragari apud Clementem velint, petit; nihil vel ad Apostolicæ Sedis amplitudinem præstantius, vel ad Galliæ regni incolumitatem illustrius, vel ad rempublicam christianam egregium magis accidere posse, quam si omni heoricæ virtutis genere excultus invictusque Rex, Apostolicæ Sedis ulnis sinuque excipiatur; cujus majores, rebus præclare pro Ecclesia gestis, sibi Christianissimi augustos titulos comparaverint.

In ea re Paulus Paruta omnes ingenii nervos intendere a Senatu jussus, Clementem hortatur, ut tandem Regem, armis strenuum, clementia insignem, gratiam ab eo inire avide cupientem, catholicam religionem professum, qui demississime sepius per literas perque oratores Ecclesiæ conciliari petiverat, benigne suscipiat: nihil reipublicæ christianæ utilius, nihil pontificio nomine dignius, nihil ad Clementis famam in omnem posteritatem propagandam opportunius, quam potentissimum Regem supplicem suis pro volutum genibus amplexari; eum, inquam, qui eximia virtute, militari scientia, assueto laboribus corpore, animo periculis durato, magnanima & excelsa respiciente, multa atque egregia pro christianæ religione agere possit. Secum ipse cogitaret magnarum rerum opportunitates perraras esse, semel neglectas frustra queri, atque expeti. An non ejus constantiae periculum satis factum, qui denus exoret, instet, precetur? neque id in speciem, ut ad se provincias civitatesque pertrabat, cum jam toto regno potiatur: fœderis nomine abolito, proceres ei ac Principes accessisse, pacis ac belli leges accepisse. Quid igitur cunctandum? an ut, patientia in furorem, spe in desperationem versa, iis se dedat, qui jamdiu de Gallicana ecclesia ab Apostolica Sede se jungenda consilia coquunt. Angliam, maiorem Germanie partem, Belgium ipsum satis documento esse, quam funestos exitus,

1595
Henricus
Rex Ebroi-
ensem Epis-
copum Ro-
mam mittit

Ebroicensis
Episcopus
& Messius
orator Ve-
netias acci-
dunt.

Paulus Pa-
ruta Pont.
ad Regem
Galliæ in
gratiam re-
cipiendum
hortatur.